



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola III. Gregorii Papae I. Ad Evmdem. De episcopis ab eo diuisis, &
Synodo Calchedonensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Ago Longobardorum rex, de nobis ei promittite; quia paratus sum in causa eius impendere, si ipse vtiliter aliquid cum republica voluerit ordinare.

EPISTOLA III.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

De episcopis ab eo diuisis, & Synodo Calchedonenſi.

Gregorius Constantio episcopo Mediolanenſi.

PERVENIT ad nos quod quidam episcopi veſtræ diocesis exquirentes occasionem potius quam inuenientes, seſe ſcindere a fraternitatis veſtræ vnitatem tentaerint, dicentes te apud Romanam urbem in trium capitulorum damnationem cautionem feciſſe. Quod videlicet idcirco dicunt, quia quantum fraternitati tuæ etiam ſine cautione credere ſoleam, neſciunt. Si enim hoc eſſet neceſſarium fieri, verbis nudis vobis credi potuiſſet. Ego tamen nominata inter nos neque verbo, neque ſcripto tria capitula recolo. Sed eis, ſi citius reuertuntur, de ſuo errore parcendum eſt: quia iuxta Pauli apoſtoli vocem: *Non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Nos enim auctore veritate, teſte conſcientia, fatemur nos fidem ſanctæ Calchedonenſis Synodi per omnia illibatam cuſtodire, nihilque eius definitioni addere, nihilque ſubtrahere audere. Sed ſi quis contra eam, eiusdemque Synodi fidem, ſiue plus minusve ad ſapiendum appetit uſurpare, eum omni dilatione poſtpoſita anathematizamus, atque a ſinu matris eccleſiæ alienum eſſe decernimus. Quem igitur iſta mea confeſſio non ſanat, non iam Calchedonenſem Synodum diligit, ſed matris eccleſiæ ſinum odit. Si ergo ea ipſa quæ audere viſi ſunt, zelo loqui animæ præſumpſerunt, ſupereſt vt hac ſatiſfactione ſuſcepta, ad fraternitatis tuæ vnitatem redeant, ſeque a corpore Chriſti, quod eſt ſancta vniuerſalis eccleſia, non diuidant.

1. Tim. 1.